Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2579
Quelle:
Copyright:

XXXVII. *fol.* 266. *Incipit sermo sermocinatus per* (Jacobum) *Episcopum Laudensem in ingressu conclavis.* Thema: *Eligite meliorem. IV. Reg. 10.* Initium: *Tam ruinam vniuersalem opportunitas releuandi occurrens* &c. Ad Concilium *Constant.* et annum 1417. pertinet, editus ab *Herm. v. d. Hardt* T. I. p. 931. et rursum in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 785. ubi plura de Autore *Jac. Arigonio de Balardis*, cujus alii *Sermones* a nobis jam alibi relati.

XXXVIII. *fol.* 276. *Sermo eiusdem de eadem.* Errorem hic aliquem Librarii suspicari licet. Quid enim *τὸ de eadem?* Sermo de Reformatione Ecclesiae agit, de qua utique non egit praecedens. Dubium igitur etiam, an ad *Jacobum Laudens.* pertineat, cui nec locis mox *cit.* tribuitur. Thema et initium ejus est: *Reformemini in nouitate. Rom. 12. est scriptum et in epistola transumptiue est iam lectum. Sacratissimum Concilium speciosum forma pre filijs hominum quia eodem spiritu sancto congregatum, quo christus irrequisitis parentibus in templo remansit* &c. Levis est momenti.

XXXIX. *fol.* 284. p. 2. Oratio Legatorum Regis *Bohemiae* ad Pontificem, hoc ingressu: *Annunciate patri meo vniuersam gloriam meam. Gen. XLV. Beatissime Pater deuotus humilis atque peculiaris filius vester Wenceslaus &c. dum ad pedes vestre S. nos misit vtique nobis imposuit ut uobis pastori atque patri omnium katholicorum et specialiter regni sui causam et materiam nostre legacionis explicare deberemus* &c. Atque haec est, ut Rex *Sublimitatem prelacionis vestre maiestatis honoraret. fidelitatem subiectionis sue voluntatis confirmaret. ylaritatem aduentus vestre sanctitatis in constantiam intimaret.* Ex *aduentu in Constantiam* argui posset, legationem hanc directam fuisse a. 1414. ad *Johannem* XXIII. verum, quia deinceps perpetuo sermo est de *Promotione* Pontificis, ad an. 1417. et *Martinum* V. referendam censeo. Dicitur enim audita Promotione de Rege: *confestim ferias indixit et clerum congregari ordinauit, et omnipotenti deo in psalmis et ympnis iubilari mandauit et processiones et missas solempnes cantari fecit* &c. Nescio, an ullibi typis mandata extet *Oratio*, in qua nulla mentio intestinarum Regni turbarum.

XL. *fol.* 286. *Incipiunt Versus tytulorum primi libri Decretalium.*

Primo sancta fides statuit scribit quoque consve. &c.

et ita reliquorum etiam Librorum *Gregorii* V. paene, ut in antiquis Editionibus Iuris Can. Adhaerent breves de hoc Iure Notulae.

XLI. *fol.* 290. *Sermo de dedicatione templi.* Nitide scriptus, hujus Thematis et initii: *Domus mea domus orationis est. Luc. 19. Verbum assumptum olim ab ipso*

deo